MACHINA
MOTVM
PERPETVVM
EXHIBENS.

sine

Vllo adminiculo Aquæ naturaliter decurrentis, absqve vllo animali, absqve Sole, Igne, Vento, Fumo, Argento Viuo, & si quid est quo aliæ Máchinæ agitari solent; per solam duorum ponderum artificiosam pugnam, ita grauitate inter se certantium, vt vnum alio alternatim, sit nunc grauius, nunc leuius




AVTHORE

P. Stanislao Solski Societatis IESV.

VARSAVIÆ.

ANNO

M. DC. LXI.


Machina Motus perpetui
Artificialis
Fig: II.
Fig: III.
Fig: IV.
P. Stanislaus Solski Societatis Iesu inuenit. Anno Salutis 1660.
Ioannes Alexander Goreczyn sculp. (Die 22 O

VSVS MACHINÆ
MOTVM PERPETVVM EXHIBENTIS.

MAnente piſtillo G, intra Embolum L, Impleantur aquâ, aceto, vino, aut quouis alio liquore ad ſummitatem vſq; : Primùm: Cameræ B. F, A. H; vt arculæ a. b. c. d/ e. i. m. h, habentes contrapondium l, annexum Chordis l. K. g, eleuentur cum humido quàm poſſunt altiſsimè.

Secundò: Sŷphon Q. N. clauſus Aſsario vel oſtio d.

Tertiò: Receptaculum Y. ex quo abſqe omni alio externo auxilio, defluens humidum in Situlam I. ſub ipſo receptaculo Y. pendentem ex Vecte V. S/ (figura euerſam deorſum monſtrat) eam ſufficienter implet.

Quæ ** per impletionem euadens grauior piſtillo G, & ſuperior omnibus alijs impedimẽtis (ex conſtructione), deſcendit cum impetu deorſum.

Interim piſtillum eleuatur, ſugit humidum, & abſorbet ex anguſtijs, illud, quod inter Cameras & Arculas a. b. c. d/ e. i. m. h. continebatur, Arculæ deſcendunt verſùs fundum cum humido, earumque erectoria n. f. q. recuperant artificioſè dimiſsos vectes z. u. s: vtribus interim dehiſcentibus ſub fundo Arcarum, & fluxu ceſſante ex receptaculo Y.

Impingit in chordam (24. 25.) Euertitur, & effundit humidum, in Vas (32. 35.) Ex quo redit humidum in Cameras B.F. A.H

interim creſcit humidum intra Cameras B.F/ A. H, attollitqve ſecum Arculas a. b. c. d/ e. i. m. h: Et Arculæ eleuant vectes z. u. s, qui prementes rotulas X, haſtæ G. X. Z, premunt piſtillum G.

Poſt euerſionem & effuſionem humidi in vas (35 22.) ſitula attollitur, quia leuior eſt ex conſtructione contrapondio S.

interim pondus piſtilli, reſtitutum ſuæ grauitati, humidum vná cum vectibus z. u. s. premit.

in compreſsione tam á vectibus, quám á piſtillo, pellitur humidum per Siphonem in receptaculum Y.

quo impleto, inchoatur Fluxus in situlam, caduntque interea Vectes z. u. s, ex erectorijs n. f. q, Arcularum a. b c. d/ e. i. m. h/ & cessat pistilli compressio; Arculæ quoque a. b. c. d/ e. i. m. h/ expeditæ á violenta Vectium z. u. s. pressione, altius ex Cameris B. F/ A. H. prostant; donec situla I. iterum sufficienter impleatur, Nam ** per impletionem &c. vt supra.

Quæ omnia eodem contingent ordine, & tertiò, & quartò, & in infinitùm.

Typographus Lectori.

INcîdi nuper Tabulam Machinæ Motûs perpetui Artificialis Auctori: vtque eius plenam descriptionem typo subijceret: petij, sed frustra; iustis enim de causis, quod postulaueram negauit. Institi deinde vt mihi saltem oretenus vsum machinæ ediceret. Quod ille pro sua humanitate non tantùm præstitit, sed & Machinam ipsam in qua Varsauiæ experimentum motûs perpetui instituerat, summâ meâ cum admiratione & voluptate monstrauit. Paulò post opportune incidi in amicum qui exemplar habebat vnum, qualia Author plura describi curauerat, in quo Vsvs Machinæ motus perpetui continebatur. Legi & perlegi sæpius, illudque impetraui, non alio fine quám vt pluribus communicarem meo prælo. Lege & fruere Benigne Lector. pleniorem autem descriptionem huius Machinæ, & applicationem eius ad plures prodigiosas inventiones, ab Authore ipso, postquam tam insigne Inuentum publicauerit, pete.

Ioannes Alexander Gorczyn. Sculptor, & Typo: Varsavi.

